
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE ARTIBUS QUAS TIBULLUS ET LYGDAMUS IN VERSIBUS CONCINNANDIS ADHIBUERUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS D. IX. MENSIS FEBRVARII A. MDCCCLXXIV HOR. XII. IN AVDITORIO MAXIMO VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PVBLICE DEFENDET

MAXIMILIANUS KRAFFT
COBURGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
M. HERWIG, DR. PHIL.
J. RAHN, CAND. PHIL.

HALIS,
MDCCCLXXIV.

De artibus scripturus, quas Tibullus et Lygdamus in versibus et heroicis et elegiacis concinnandis adhibuerunt, ad tria potissimum quoniam spectabo, haud inutilem operam in eam rem me impensurum esse spero atque confido.

Nam primum quidem, quoniam vocabula collocandi libertatem, quae sermonis Latini propria est quaque poëtae Romanorum solutissime usi sunt, ab iisdem aliqua ex parte ad certum ordinem revocatam esse videbimus, qui pariter serviat orationis perspicuitati ac venustati, siquod talis collocationis genus ob artem, quae ei inest, usitatissimum gratissimumque esse cognitum erit, quandoquidem poëta uterque non sine causa ab eo discessisse putandus est, sicubi discesserit, animum ad id intendam, cur id factum sit. Atque inde et de quibusdam subtilioribus metri legibus, quas longius erit cur persequamur, et nonnumquam de sententiarum ratione et de aliis nonnullis, quae illud effecerint, concludere licebit. Quocum artissime cohaeret alterum, ad quod spectabo. Cum enim facile conici possit, alterum poëtarum nostrorum collocationis artis alterum aut metri aut sententiae rationem magis duxisse, videndum erit, num quid ut in aliis ita in his rebus inter eos intersit. Denique vero accidet ut attingam versus, in quibus verborum ordo et in codicibus pejoribus commutatus est et ab hoc aut illo eorum editorum, qui ante Lachmannum exstiterunt. Tum vero habebimus cur cujusque variam vocabulorum collocationem accuratius examinemus et, ut semper fere eveniet, optimorum librorum auctoritatem defendamus.

Quoniam autem cum ea concinnitate, quae in duobus quae cohaerent nominibus ponendis adhibita est, conjuncta esse solet firmitas quaedam in eo nomine praeeunte posita, quo integra non oritur sententia quodque ut alterum exspectetur efficit, de ea quoque disseremus atque ita quidem, ut longius eam persequamur quam quoad cum concinnitate conjuncta sit.

Antequam autem ad id, quod nobis proposuimus, accedamus, breviter explicandum est, quae ex Tibulliani corporis carminibus Tibullo, quae Lygdamo tribuenda sint. Atque tertium quidem librum a nescio quo inferioris ordinis poëta, qui Lygdamum se ipse vocat, confectum esse non jam erit qui neget[1]). Neque primum aut secundum librum ad hunc diem

[1]) Cf. Stumpe, de Lygdami qui vocatur elegiis. diss. inaug. Halis Saxonum 1867, ubi gravissima argumenta in unum coacta sunt.

a Tibullo quisquam abjudicavit. De quarti autem elegiis ut omnes consentiant nondum contigit. Nam ut Messallae panegyricum omittamus utpote e continuis hexametris compositum ob eamque causam ad hanc commentationem non pertinentem, el. 13 et 14 quidem quin Tibulli sint jure non dubitatur. Quae vero restant carmina 2—12; de iis quattuor, quod sciam, diversae sententiae prolatae sunt. Alii enim illas elegias Tibullo assignaverunt omnes[1]), alii omnes ab eo abjudicaverunt[2]), ii autem, qui alteram earum partem Tibullo, alteram Sulpiciae tribuunt, eo inter se discrepant, quod alii[3]) el. 2—6, alii [4]) el. 2—7 a Tibullo, ceteras a Sulpicia scriptas esse putant. Et haec quidem sententia vera esse mihi videtur. Nam el. IV 2—7 cum inter se tum vero cum II 2 artissime cohaerent atque a Tibulli ingenio et rerum describendarum arte et ut totius narrationis ita singulorum carminum compositione et elocutionis indole tantum non abhorrent, ut non solum eo non indignae sint, sed etiam laudes ejus augeant. Longe aliter comparatae sunt el. 8—12. Quae cum ob sententiarum obscuritatem et dictionis duritatem Tibullo plane indignae sint, jure cum optimo libro Cujaciano Sulpiciae eidem tribuuntur, quae antecedentibus carminibus celebratur.

Jam vero, postquam et Tibulli et Lygdami carmina elegimus, ad rem propositam accedamus. Ordiamur autem a versu elegiaco. Ejus enim caesura, quae post quinque priores semipedes ponitur eodem deinde rythmico ordine sequente, quoniam tam inviolabilis est, ut fere numquam neglecta inveniatur, de ea non habebimus cur dubitemus. Deinde vero ipsa hujus versus natura, utpote qui ita dividatur, ut partes duae oriantur prorsus pares, ad aequabiliter verba utriusque hemistichii collocanda accommodatissima est. Ac simplicissimum talis collocationis genus, quod nulla arte adhibita tamquam se ipsum offerat, tum adesse existimandum est, cum in duobus vel enuntiatis vel ejusdem enuntiati membris ita in versum distributis, ut utrumque alteram ejus partem obtineat, verba paria pariter ordinata sunt. Qua concinnitate nonnumquam et Tibullus utitur, I 1, 78

despiciam dites despiciamque famem.

4, 66. 82. 5, 28. 64. II 2, 20. 5, 100. 6, 10. IV 3, 6., et Lygdamus, 1, 16. 2, 14. 24. 3, 16. 4, 88. 5, 24. Accedunt tales versus, in quibus ex frequentissimo et Tibulli et Lygdami usu vocabulorum ad utrumque sive pronuntiatum sive ejusdem

---

[1]) Inprimis Dissenius, ed. Tib. tom. I. p. XXIV sq.
[2]) Cf. Bähr, Gesch. der röm. Litt. p. 279.
[3]) Rossbach, ed. Tib. — L. Mueller, ed. Tib.
[4]) Gruppe, Röm. Eleg. p. 27—47. — Lachmannus in censura Tib. ed. Dissenianae (Haller Allg. Litt. Zeitung 1836. No. 109 sq.) p. 251—263. — Teuffel, Studien u. Charact. p. 365—369. — Haupt. ed. Tib.

sententiae membrum pertinentium pars priori pars posteriori assignata sit, ut I 3, 56

Messallam terra dum sequiturque mari.

4, 2. 9, 20. 10, 52. IV 6, 14. III 1, 26. 3, 4. Hunc igitur verborum ordinem, ut est simplicissimus aptissimusque et versus naturae et sententiarum similitudini, ita poëtis nostris gratissimum fuisse ea potissimum docent exempla, in quibus quin varietati servirent metro non erant impediti. Neque vero illam collocationem I 1, 78 praeter librorum auctoritatem ejus simplicitas tantum tuetur, sed etiam diligentia, quacum Tibullus subtiliorem illam legem de prioris pentametri Latini hemistichii dactylum excipiente spondeo constitutam[1]) observavit. Quod Dissenius in adnotatione huic versui adscripta ita neglexit, ut causam, propter quam quem et ipse recepit ordo verus putandus esset, e sententia repetere mallet, id non satis respiciens, quod Tibullus, ut metri elegantiae indulgeret, graviores voces levioribus postponere non dubitavit. Quod quidem postea accuratius videbimus. Diligentia autem, qua poëtam nostrum in lege illa observanda usum esse modo diximus, et ex parvo prae ceteris numero intellegitur eorum versuum, in quibus inversum pedum ordinem adhibuit[2]), et eo confirmabitur, quod illius causa a collocandi modis ei gratissimis discessisse eum demonstrabimus. Ac jam hic id ipsum docet II 4, 34

nec prohibent claves, et canis ipse tacet.

Plerumque enim Tibullus una cum Lygdamo non nisi metri necessitate coactus ab illa collocationis aequabilitate abstinuit, semel autem, II 6, 52., concinnius vocabula ordinandi facultatem per metrum datam praetermisit, cum non scriberet

quis teneatve meam, quot teneatve modis[3]).

Nec tamen sine causa. Nam eorum quos supra enumeravimus versuum quae aequabiliter collocata sunt vocabula in utraque sententia aequo pondere pronuntiantur; hic autem, quod verbum in priore enuntiatione gravi accentu praeditum est, idem in posteriore levissimam habet auctoritatem. Huic igitur ponderis discrimini collocationis diversitas accommodatissima est. Neque IV 2, 14

mille habet ornatus, mille decenter habet

huc non pertinet, ubi tamen ad verborum m i l l e h a b e t diversum ordinem

---

[1]) Cf. G. Hermanni elem. doctr. metr. p. 358. — L. Mueller, de re metr. p. 145.

[2]) Cf. Hultgren. observ. metr. in poëtas eleg. Gr. et. Lat. (Progr. d. Nicolaigymn. in Leipzig 1871) p. 21, ubi inter 697 pentametros 421, quorum in priore parte dactylo spondeus subjectus sit, 58 inverso ordine attulit.

[3]) Et affert Vossius (Krit. Beiträge zum Tibullus) ad h. l. hunc verborum ordinem ex uno codice.

accedit differentia ictus. Numquam autem aequabilitati illi Tibullus tantum indulsit, ut hemistichiorum utrumque in idem verbum desinere pateretur. Qua in re minus religiosus Lygdamus 3, 14 non dubitavit talem pangere versum:

Taenare sive tuis, sive Caryste tuis.

Neque igitur, quod 6, 48 non scripsit

Junonemque suam per Veneremque suam,

sed ne trisyllaba quidem versus clausula repudiata[1]) hunc ordinem verborum praetulit:

Junonemque suam perque suam Venerem,

tam ob eandem vocem in utriusque hemistichii fine evitandam factum esse videtur quam ob aliam rationem, qua Lygdamus differt a Tibullo. Hic enim satis saepe que particulam non primo vocabulo, sed I 3, 14. 4, 2[2]). 26. 6, 72. 10, 54. II 3, 38. 54. 5, 68. 70. 86. 90. 6, 16 alteri, I 1, 40. 3, 38. 10, 51 tertio, I 6, 54 quarto, II 5, 72 quinto adnexuit. Ille vero numquam hanc collocandi libertatem admisit. Nam quod 3, 4 scripsit

insignis clara conspicuusque domo,

declaratur consuetudine supra commemorata.

De quo adhuc egimus concinnae verborum collocationis genere, eo multo longius patet alterum, ad quod jam progredimur. In quibus enim pentametris sententia ex alterius hemistichii finibus excedit, ad eos et firmiores reddendos et adornandos duo potissimum elegiarum scriptores Romani collocandi artificia adhibuerunt. Et primum, ut animi eorum, qui audiunt vel legunt, usque ad versus finem exspectatione penderent artissimeque hemistichia caesura dirempta sensu continerentur, id studuerunt, ut, quae vocabula proxime cohaerent certamque sententiam efficiunt, ea non eidem, sed alterum priori, alterum posteriori pentametri parti attribuerent. Quod varie evenire potest. Verbo enim praeeunte animi praeparantur ad subjectum in posteriore hemistichio secuturum, ut in hoc versu:

---

[1]) Quam Lygdamum fugisse docet Hultgrenus l. c., qui tamen aut hunc versum aut 6, 10 se comitem praetermisit. Atque 6, 10, cum voci versum claudenti monosyllaba antecedat, ex Hermanni praeceptis (el. doctr. m. p. 358) ne est quidem offensioni. — Obiter adnotaverim illum virum doctissimum in Tibullianis quoque ejusdem modi versibus numerandis erravisse. Equidem enim non 16, sed 25 inveni, I 1, 50 potest pluvias. 72. 3, 30. 5, 62. 6, 34. 7, 16. 36. 9, 4. 10, 14. II 1, 8. 60. 66. 3, 40. 4, 48. 5, 16. 40. 6, 20. 32. 34. IV 2, 18. 13, 22. — I 3, 32 in Pharia. 5, 72. 10, 66. II 5, 68.

[2]) Dissenius, cum ad I 1, 51 dicat: „adde Heindorf. ad Hor. sat. I 6, 43., qui tamen in eo errat, quod particulas que, ne, ve transpositas censet in hujusmodi locis“, ipse non satis exempla distinxit. Nam tali quidem, quale est I 3, 56

Messalam terra dum sequiturque mari,

particulam trajectam esse jure negat, quoniam collocatio ita facta est, quasi bis adesset verbum: dum terra sequitur sequiturque mari; in tali autem:

ne capiti soles, ne noceantque nives

redditur agricolis gratia caelitibus,

aut verbo, quod antecedit, per se ut mente aliquid definiti formemus non efficienti post caesuram demum id, quod sententiam explet, additur, ut in hoc:

et dare sacratis oscula liminibus,

aut inverso ordine, velut in hoc:

et dominam tenero detinuisse sinu,

exspectatio, qua unde nomen pendeat in priore hemistichio tenemur, altero completur. Has autem artis illius species, cum certa ratione non sint adhibitae, ut omittamus, ad eam transeamus, quae firmis legibus descripta est, substantiva sive quae eorum locum tenent pronomina et adjectiva sive participia illis subjuncta artificiose collocandi dico rationem. Quae vocabula poëtae elegiaci Latini, quantum fieri potuit, ita posuerunt, ut haec quidem in priore versus parte praeeant, illa autem sequantur in posteriore. Adjectivum enim, quippe quo solo integra non fiat cogitatio, ad quod pertineat substantivum cum quaeramus, hac collocatione optime hemistichia colligantur. Atque idem tum efficitur, cum adjectivi sedem tenet substantivum, quod in genetivo pronuntiatum ex altero substantivo pendet. Huic vero partes conjungendi arti ea accedit, quod aequo veluti pondere verba per eas ita distribuere solebant, ut alteri illorum nominum prioris, alteri posterioris exitum tamquam certas sedes assignarent. Qua lege et verborum compositionem pentametri numeris egregie accommodari et sententiam apta versus structura magis fieri perspicuam nemo erit quin sentiat.

Ac jam de Tibullo et Lygdamo ut accuratius videamus, quatenus his duobus artificiis usi sint, tum quidem, cum duo ejusdem enuntiationis nomina in eodem hemistichio collocata sunt, non curatur, utrum praecedat, ita ut pro metri necessitate nunc tales:

cum tenues hamos abdidit ante cibus.
jurasset cupide quidquid ineptus amor,

nunc tales:

carmine cum magico praecinuisset anus.
rettulit e trinis omina certa puer

invenias versus. Neque igitur est cur miremur, quod Tibullus, quotiescumque per metrum liceret, illam de prioris hemistichii pedibus legem observavit et modo sic: I 2, 90 post Veneris vinclis s. modo sic scripsit: I 2, 60 et strepitu nullo. Quae Lygdamus hujusmodi habet exempla, 4, 8 et pavidas mentes 5, 34 et nivei lactis, cum neque nominum neque pedum ordine inter se differant, inde nihil dum concludere licet, praesertim cum haec ipsa collocatio ei magis placeat, id quod 3, 6 et magnas messes et 4,84 nec tantum crimen demonstrant. Inverso ordine Tibullus utitur IV 3, 18 ne Veneris cupidae, in quo uno versu nulla metri ratione impeditus erat. Nam quod

---

trajectio statuenda est, cum exspectes ex usitatiore collocatione neve noceant nives.

I 7, 12 sic collocavit: Carnuti et flavi, si non oppositionis, certe ejus elegantiae causa id factum est, qua primam pentametri sedem voce spondiaca obtineri vetatur quaeque quam longe apud nostros poëtas pertineat postea videbimus. Neque enim Lygdamus quid de ea senserit, jam hoc loco cognoscere licet, quoniam 4, 12 mendaci somno 40 felices cantus 6, 24 Cadmeae matris ob eandem causam, quam paullo ante diximus, nihil probant.

At certi aliquid de his rebus reperietur, si et eos versus, quorum utraque pars altero nominum jungendorum terminatur, perlustraverimus et eos, quorum in priore hemistichio ab aequabili illa collocatione discessum est. Ac primum quidem Tibullo gratissimam eam fuisse docent versus 257 ea arte exornati. Qui numerus cum plus tertiam omnium partem efficiat, summa cura Tibullum concinnitatem illam quaesivisse magnumque pentametri ornamentum habuisse apparet. Attamen metri elegantiam pluris aestimavit quam aequabilitatem collocationis. Nam I 7, 30

et teneram ferro sollicitavit humum.

8, 52. 10, 42. II 5, 32 alterum nomen eam ob causam a prioris hemistichii fine removit, quod dactylum spondeo exceptum voluit. Et eidem elegantiae ut serviret, I 9, 72

devoveat pro quo remque domumque tuam

eum verborum ordinem aspernatus est, qui simplicior et magis erat in promptu. Ac ne sensui quidem Tibullum ita indulsisse, ut graviore voce minore vi praeditae anteposita metri illam elegantiam laederet, hi docent versus:

I 2, 66 ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
malueri t praedas stultus et arma sequi.

3, 90 tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
sed videar caelo missus adesse tibi.

Quam igitur legem tantopere praevalere haec exempla clarissime demonstrant, in quibus versibus ea facultate verba invertendi data neglecta esse videtur, est cur in iis subtiliorem causam subesse suspicemur. Et sunt inter omnes qui ita ficti sunt pentametros, ut in priore hemistichio dactylus spondeum excipiat, tres tales, in quibus alter pedum ordo facillime effici potuerit,

IV 3, 16 et demam celeri ferrea vincla cani.
I 9, 10 ducunt instabiles sidera certa rates.
II 4, 4 et numquam misero vincla remittit Amor.

Nam I 7, 54

liba et Mopsopio dulcia melle feram

facilius pro liba et scribere potuit libaque[1]), quod cur non praetulerit, cum in omnibus similibus et pentametris et hexametris (I 2, 22. 77. 82.

[1]) Sic scribit Broukhusius.

5, 11. 24. 66. 6, 79. 80. 7, 82. 8, 10. 14. II 1, 16. 28. 46. 2, 18. 3, 16 a. 48. 4, 50. 5, 78. 94. 6, 38. IV 4, 12) alteram rationem sequeretur, equidem non video. Illorum autem versuum primus quidem unicus est, in quo Tibullus prae aequabilitate collocationis metri elegantiam neglexerit; in reliquis autem duobus trium longarum syllabarum in principio positarum gravis tardusque incessus, qui in altero etiam augetur distinctione post primum pedem facta, in hoc aptissimus est ad difficultates depingendas, quibus naves in mari ventis obnoxio conflictantur, in illo ad temporis diuturnitatem imitandam, per quod ab Amore catenis se teneri Tibullus aegerrime fert.

Quemadmodum autem huic, eodem modo alteri quoque prioris hemistichii elegantiae Tibullus ita serviit, ut a collocationis concinnitate discedere mallet quam pati, ut a voce spondiaca versus elegiacus initium caperet. Qua de poëtarum latinorum lege, ad prius quidem pentametri hemistichium quod attinet, recte, ut mihi videtur, L. Muellerus (de re metr. p. 209 sq) sic disserit: „haec i. e. quae praeter quartum et quin-„tum semipedem et porro praeter tres versus semipedes extremos adsunt, „secundum principalem veteris artis legem quo magis diversum a pedestri „accentum habebunt rythmicum, eo propius ad perfectam accedunt ele-„gantiam. quare non prorsus est laudatum primum aut quartum pedem „dactylica constare voce et minus etiam spondiaca, qua nimis gravati et „tardati pedestres fiunt numeri. est tamen ubi arte appetatur quod ratione „plerumque abiciatur. velut pulchre habent ipso vitio versus Maronis hi:[1])

tantae molis erat Romanam condere gentem.
tanta mole viri turritis puppibus instant.

„apte enim describuntur gravitas rerum vel difficultas ponderosis rythmis „et segnibus.“ Huic igitur legi metri, non concinnae collocationis suavitati Tibullus obsecutus est in his versibus:

I 3, 20 offensum in porta signa dedisse pedem.

38. II 5, 10. IV 6, 20. Atque ob eandem causam simpliciorem verborum ordinem repudiavit IV 7, 6

dicetur siquis non habuisse sua.

Apparet igitur, quanti Tibullus hanc quoque metri elegantiam aestimaverit. Attamen sunt nonnulli pentametri, in quibus norma illa laesa sit. Et ut eos omittam, quos paullo ante jam commemoravi, primum quidem nonnumquam accidit, ut quae in hexametro incipit sententia in prima pentametri sede spondiaca voce gravi accentu praedita claudatur, I 2, 76. 4, 40. II 1, 80. IV 7, 10. Nec minus I 6, 46 et II 5, 46 prima vox gravi accentu instructa est. Habet igitur in omnibus his versibus spondiacum vocabulum primo loco positum quae in sensu sita est excusationem.

---

[1]) Idem enim valet de hexametro.

In quibus igitur facultas legitimo vocabulorum ordine utendi data erat et tamen praetermissa est, in eorum unoquoque eo magis erit cur id factum sit. Et II 1, 88

currumque sequuntur
matris lascivo sidera fulva choro

ipsa orationis perspicuitas hanc potissimum collocationem commendavit; deinde I 4, 36

formae non ullam fata dedere moram

ponderi, quo formae premitur, accommodatissima est quae post spondeum evenit distinctio; porro I 3, 36

prius quam
tellus in longas est patefacta vias

tardati rythmi conveniunt cum viarum longitudine; tum I 3, 78

sed acrem
jamjam poturi deserit unda sitim

accrescentium verborum tarditas quanto magis differt a dactylis posterioris hemistichii alacribus, tanto aptior est ad depingendam Tantali sitientis cupiditatem, quo propius os aquae admovet, eo magis augescentem quaeque subito stagno refluente decipitur; I 5, 46 denique

talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
vecta est frenato caerula pisce Thetis

quae metro inest gravitas congruit cum splendido habitu qui describitur pulcherrimae Nereidos.

In omnibus igitur quos adhuc perlustravimus versibus Tibullus ut ab aequabili illa nominum cohaerentium collocatione discederet, metri aliquam rationem effecisse vidimus. Semel autem, I 1, 36

et placidam soles spargere lacte Palem,

adjectivum ita a sede tamquam ejus propria amovit, ut aliam quam causam adesse necesse sit. Quae cum hic quidem nisi in sensu posita esse non possit, quaeritur quae adhibita est collocatio utrum ei versuum ordini accommodata sit, quem Haasius in disputatione praescripta indici lectionum in Universitate Vratislaviensi per aestatem a. 1855 habendarum proposuit et L. Muellerus recepit, an ei, quem a codicibus traditum reliqui omnes editores recentiores retinuerunt. Et cum illo quidem non convenire mihi videtur. Nam Haasii interpretatio si recte se haberet, quoniam sacrum Pali factum premendum esset, placidam graviore vi careret et proximam ante caesuram sedem ex Tibulli more obtinuisset. Inest autem adjectivo summum totius sententiae pondus, si vv. 35 et 36 leguntur post v. 34. Ea enim oritur sententiarum ratio, ut poëta, postquam fures luposque ut de magnis aliorum agrorum gregibus praedam petant, suo ipsius pecori utpote exiguo parcant adhortatus est, novam causam addat, cum in suo praedio nullum iis fore quaestum dicat,

quoniam pastorem quotannis lustrare soleat et Pale ob imaginem ejus lacte sparsam utatur placida[1]).

Restat ut nonnullos pentametros examinemus, in quibus ad substantivum, quod versum claudit, et adjectivum et alterum substantivum in genetivo pronuntiatum in priore hemistichio posita pertinent. Ac metro quidem quae usurpata est collocatio flagitatur I 2, 52. 8, 18. 8, 12. II 5, 60. Ubi autem nulla ejus ratio habenda erat, I 9, 8. 8, 34. 9, 64

et durum terrae rusticus urget opus.
et regum magnae despiciantur opes.
aut operum varias disposuisse vices,

Tibullus sententiam cujusque versus ita respexit, ut in illo, quae verba quasi unam notionem efficiunt artiusque inter se cohaerent quam quod iis attributum est adjectivum cum altero substantivo, ea in easdem sui utrumque hemistichii sedes distribueret, in his voces magnae opes, quae regum, et varias vices, quae operum dicuntur, propius conectendas esse ipsa collocatione significaret.

Jam vero ad Lygdamum ut transeamus, eidem collocandi aequabilitati eum et ipsum studuisse demonstrant 39 quae ejus generis habet exempla. Quamquam Lygdamum ea rarius Tibullo usum esse haec tabula docet:

			inter centenos
Tib. omnia carm.	= 697 p.	256	36,9
I 7. 4. 9. 8. 10	= 189 p.	68	36,0
I 1. 3. 5. 2. 6. II. IV 2—7. 13. 14[2])	= 508 p.	188	37,0
Lygd.	= 145 p.	39	26,9

Qua concinnitate quod 4, 70

nec similes chordis reddere voce sonos

abstinuit, inde apparet, etsi linguae suae non ita compos fuerit, ut aeque raro ac Tibullus legem illam de prioris hemistichii pedibus constitutam neglegeret[3]), tamen eum haud immemorem ejus fuisse. Quod cum ita sit, ne in illis quidem versibus, de quibus supra nihil asseveravimus, 4, 8 et 5, 34, sine hujus legis ratione quin illa ipsa collocatio adhibita sit non jam dubitabimus. Deinde autem erit etiam cur eos versus accuratius examinemus, in quibus Lygdamus nec metro nec verborum ratione cogente elegantiam illam praetermisisse videtur. Sed enim 4, 52

[1]) Cf. Dissenium ad h. l.
[2]) De hoc carminum ordine cf. Teuffel, Studien u. Char. p. 365 sq.
[3]) Cf. Hultgren, l. c., ubi tamen numeri sic corrigendi sunt:

	III (145 p.)	
ds	63	43,4
dd	23	16,0
sd	22	15,1
ss	37	25,5

quantum nec filia matri,
quantum nec cupido bella puella viro

repetitio eorum verborum, a quibus posterior hexametri, qui antecedit, pars initium capit, ne metri subtilior lex respiceretur impedivit; deinde 4,18

jam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
mundum caeruleo laverat amne rotas

perspicuitas orationis major fuit quam metri elegantia; porro 4, 14

et frustra inmeritum pertimuisse velit

aut et conjunctionem a principio sententiae amovere[1]) aut leviorem vocem graviori anteponere noluit; 5,4 denique

cum se purpureo vere remittit humus

plus quam Tibullus dedit collocationis simplicitati. Restant autem duo versus, 4,20 et 6, 2

nec me sopierat menti deus utilis aegrae:
somnus sollicitas deficit ante domos.
candide Liber, ades (sic sit tibi mystica vitis,
semper sic hedera tempora vincta feras),

qui ea interpunctione, quam inter alios novissimi editores, M. Hauptius et L. Muellerus, praetulerunt, retenta nullam habent excusationem. Itaque 4, 20 post somnus et 6, 2 post semper incidendum puto. Accedit, quod in illo quidem adjectivum majore vi praeditum est quam substantivum et ob hanc quoque causam facilius fieri potuisset ut anteponeretur, in hoc autem tali interpunctione paria sententiarum initia oriuntur. Neque vero talem collocationem verbi alicujus, quod ad utramque et hexametri et pentametri sententiam pertineat, a Lygdami consuetudiue abhorrere postea videbimus.

Alteram igitur prioris hemistichii normam qui minus quidem religiose Tibullo respexit, at certe dignam habuit, cujus causa ab aequabili illa collocatione discederet, idem plane non curavit de altera, quae est de voce spondiaca in prima versus sede posita. Ac primum numquam Lygdamum ei ita cessisse, ut concinnitatem neglegeret, ex his apparet versibus:

3, 10 nudus Lethaea cogerer ire rate.
4, 56 vanum nocturnis fallit imaginibus.
5, 28 languent ter quinos sed mea membra dies.
6, 32 venit post multos una serena dies.

Deinde vero etiam 4, 22

pressit languentis lumina sera quies

verba convertendi facultatem praetermisit. Unde elucet elegantiae illius ignarum eum fuisse. Itaque non miramur, quod Lygdamus omnino saepius Tibullo hoc metri vitium admisit. Tibullus enim 12 pentametros eo

---

[1]) Cf. Haupt, obs. crit. p. 49.

inquinatos sive 1,7 inter centenos habet, apud Lygdamum 17 sive 11,7 tales inveniuntur. Atque inter eos Lygdamus versus elegiacos, in quibus legitimus verborum ordo adhibitus est ea convertendi facultate data, nullus reperitur, qui legis illius causa eum a gratiore aut simpliciore collocatione discessisse doceat. Sunt enim hi: 3, 6. 4, 12. 40. 84. 6, 24., quos jam supra commemoravimus, deinde 3, 32. 4, 16. 38. 60. 76. 86. 5, 16. 6, 6. 30.

Inter omnes autem, quos adhuc perlustravimus, et Tibulli et Lygdami versus concinne fictos perpauci inveniuntur, in quibus substantivum in priore, adjectivum vel alterum quod in genetivo pronuntiatur substantivum in posteriore hemistichio positum sit. Quod nihil habet offensionis, cum adjectivum ad copulam pertinet amboque praedicatum efficiunt. Tum enim, quoniam copula per se constare non potest, adjectivum necessario exspectatur nec sententiae jam absolutae ultra additur. Deinde nihilo magis tum offendimus, cum aut quod antecedit substantivum aut quod sequitur adjectivum graviore pondere instructum est. Nam substantivum, cum praecedit, majore vi animos tangit imparatos quam qui adjectivo praeeunte ad id jam parati sunt et adjectivum substantivo antecedente, quo minus exspectatur, eo magis animum imprudentem opprimit. Itaque et I 4, 26 quae adhibita est collocatio excusationem habet, et I 2, 12. 98. 3, 58. 6, 66. 9,40. 80.

Restant igitur Tibulli 14 Lygdami 2 versus, quorum adjectiva postposita nullam habent excusationem nisi metri cogentis.

Eadem lex, qua adjectivum praeire jubetur, in iis quoque pentametris valet, in quibus sine illa concinnitate quae cohaerent nomina in diversa hemistichia distributa sunt, atque vel tum, cum nihil nisi caesura inter ea intercedit. Nam Tibullus in 125 ejusmodi versibus decies, Lygdamus in 24 bis eam ita neglexit, ut nulla earum causarum adsit, quibus haec collocatio purgatur.

Ac jam ad eos pentametros progressuri, in quibus bina nomina conjuncta sunt, eorum quidem, qui, ut brevitatis causa adjectiva graecis, substantiva latinis litteris significemus, ex his formis $\overset{(a)}{\alpha}|\beta\,\mathrm{b}\overset{(\alpha)}{\mathrm{a}}$ et $\overset{(a)}{\alpha}|\mathrm{b}\,\beta\overset{(\alpha)}{\mathrm{a}}$ ficti sunt, jam supra rationem duximus. In quibus verba et aequabiliter et ita, ut versus partes firme contineantur, collocandi ars cum in altero tantum pari sita sit, quae ei interposita sunt nomina, utrum eorum praecedat, ita non curatur, ut apud Tibullum alterius formae 50, alterius 35, apud Lygdamum illius 14, hujus 8 inveniantur. Aliter sese habent ii, qui hanc praebent vocabulorum inter se implexorum figuram $\alpha|\beta\mathrm{ab}$, I 4, 76

quos male habet m u l t a c a l l i d u s a r t e p u e r.

6, 14. 32. 10, 20. II 1, 62. 3,6. III 3, 28. 4, 2. 28. 38, quibus duo versus Tibulliani artificiosissime ex hac specie $\alpha\beta|\mathrm{aba}$ formati accedunt,

I 5, 46 et II 2, 28. His enim in versibus aequabilitate partium abjecta illud prospectum est, ut utrumque adjectivum praeeat; unde is oritur tamquam lusus vocabulorum, ut catenae instar, antequam altera notio plena fiat, altera jam incohata sit. Itaque minus placet hic unus versus Lygdami

4,86 nec flammam volvens o r e Chimaera f e r o.

Omnium autem figurarum sine dubio gratissima quaque simul et aequabilitati et firmitati optime consulatur, ea putanda est, quae hoc litterarum ordine αβ|ab denotatur. Quam Tibullus in 52 versibus adhibuit, Lygdamus in 11. Ac concinnitatem quod attinet, huc pertinent ii quoque versus, in quibus nomina ex his speciebus aβ|αb, αb|aβ, ab|αβ ordinata sunt, id quod apud illum sedecies, apud hunc bis evenit. Deletur autem aequabilitas, si prioris hemistichii nomina ordine utuntur contrario ei, quo posterioris. Itaque haec forma, ut est inconcinnior, ita et apud Tibullum et apud Lygdamum multo rarius invenitur. Hic enim quinquies eam adhibuit, ille vero ejus modi 21 versus habet. Quorum in ceteris quidem ipsa verborum, quae adhibita sunt, natura quominus usitatiore forma poëta uteretur prohibuit; in his autem:

I 2, 86 et m i s e r u m s a n c t o tundere poste caput.

7, 34. 8, 16. 46. 9,68 vis de prioris hemistichii dactylum excipiente spondeo legis major fuit quam aequabilitatis; I 4, 12 vero et II 4, 28

hic p l a c i d a m n i v e o pectore pellit aquam.

et n i v e a m T y r i o murice tingit ovem,

in quibus versibus metri nulla ratio habenda erat, alia causa, propter quam Tibullus a gratiore ordine discesserit, quaerenda erit. Atque in priore quidem verba h i c p l a c i d a m cum iis, a quibus hexameter, qui antecedit, initium capit, pro sententiarum similitudine consonare poëta voluit. Nam Dissenius eo, quod oppositam esse placidam aquam equo rapido dicit, tuetur quidem quod libris satis firmatum est adjectivum, non autem scrupulum refutat Vossii et Huschkii in ipsa consonantia offendentium. Quam si Tibullus noluisset, oppositioni non tantum indulsisset, ut eam admitteret, quae quin non sit conspicua fieri nequit. In altero autem versu poëta verborum ordine mutato coloris mutandi opus depingere voluisse videtur.

Jam vero ut de iis versibus videamus, in quibus cum firmitatis detrimento aut utrumque aut alterum utrum substantivorum antecedit, sex reperiri possunt variae species, ab|αβ, ab|βα, aβ|αb, aβ|bα, αb|aβ, αb|βa. Et amborum quidem substantivorum praeeuntium unum invenimus exemplum idque Tibullianum, II 5, 50. Posterius deinde apud Tibullum quater, apud Lygdamum semel praeit. Saepius vero antecedit prius substantivum. Neque tamen omnia quae hujus rei exstant exempla aeque sese habent. Etenim primum I 3, 36

t e l l u s in longas est p a t e f a c t a vias.

8, 64. II 3, 36. IV 13. 16 eo excusantur, quod adjectivum postpositum ad copulam pertinet. Deinde I 5, 14

ipse procuravi ne possent saeva nocere
somnia, ter sancta deveneranda mola.

7, 2. II 5, 24 attributa cum novo accentu ita substantivis praeeuntibus addita sunt, ut sui ipsorum juris fiant et novas tamquam sententias efficiant. Porro I 5, 18 et 1 8, 46 quae postposita sunt adjectiva gravius pondus habent quam substantiva, quae antecedunt. Ob eandem causam Lygdamus adjectivum postposuit 5, 2 et 4, 30. Denique I 9, 52 substantivo, quod praeit, summa vis inest, et I 6, 80, 7, 54. 8, 14 oppositio, quae est liciorum et tractorum, turis et liborum, vestium amictuumque et ansae, effecit, ut quae in unoquoque versu adhiberi potuit collocatio usitatior repudiaretur. Neque minus oppositioni debetur etsi obscuriori, quod I 7, 42

Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,
crura licet dura compede pulsa sonent

crura-pulsa, non pulsa-crura scriptum est. Ea enim subest sententia, quod crura dura compede pulsa opponuntur animo, qui in antecedente versu intellegitur, in somno molestiarum oblivisecnti[1]). Quorum igitur substantiva anteposita nullam habeant excusationem versus restant hi I 6, 22. II 1, 2. — I 3, 28. 9, 82. IV 13, 4. III 4, 50. — II 2, 4.

Superest, ut eos pentametros perlustremus, in quibus bina quae adsunt nomina omnino non inter se implexa sunt. Qui pro ceterorum numero perrari sunt. Leguntur enim ejus generis apud Tibullum 26, apud Lygdamum 11. Quorum versuum I 3, 58 et 4, 18 ea quidem re exornati sunt, quod altera nomina suum utrumque hemistichium claudunt. Deinde sicubi nominum alterum par ex alterius aut substantivo aut adjectivo sive participio pendeat, id observatum est, ut illud praecedat. Quod fit in his: I 7, 12

Carnuti et flavi caerula lympha Liger.

9, 34. II 5, 96. III 6, 24. — I 1, 62

tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

2, 8. 5, 58. 7, 4. II 4. 52, III 5, 34. 6, 4. Unius qui ab hac norma abhorreat versus I 3, 22

aut sciat egressum se prohibente deo

quae postposita sunt verba summam totius sententiae vim habent.

Vidimus igitur in pentametris a poëtis nostris duo potissimum concinnae collocationis genera adhibita esse, alterum sententiarum du-

---

[1]) Nescio an idem existimaverit Vossius, cum versus illos sic verteret;
Bacchus bringet dem Geist unglücklicher Sterblichen Ruhe,
Ob auch am Beine der Schlag zwängender Schellen erklirrt.

arum paria verba pariter in utraque parte ponendi, alterum ejusdem sententiae aut duo aut quattuor nomina aequabiliter in hemistichiis disponendi. Quorum utroque quatenus in hexametris usi sint, nunc examinandum est. Nimirum autem ipsa hexametri natura non aeque ac pentametri aequabilitati partium favet. Quod cum in caesuris positum sit, simulque eam ob causam, quod ex concinnitatis legibus interdum colligi poterit, ubi incisum sit, antequam de ea re, quam nobis proposuimus, disserere pergamus, videamus, quomodo poëtarum nostrorum suos uterque hexametros diviserit.

Et in eo quidem consentiunt, quod omnino ex carminibus exclusere trochaicam quae vocatur caesuram[1]). Quae vero restant principales incisiones, semiquinaria et semiseptenaria, in earum usu vehementer inter se discrepant. Quod commodissime cognoscemus, si examinaverimus, quam saepe uterque hephthemimerim usurpaverit. Cujus duo potissimum genera distinguenda sunt, alterum ejus, quae semiquinaria omnino non facta sola adest, alterum ejus, quae jam in tertia arsi orationis parte terminata obtinet, si post quartam arsin cum verbo finitur sententia[2]). Et illa quidem apud Tibullum semper fere cum ea conjuncta est, qua post tertium quoque semipedem inciditur. Nam quoniam semiseptenaria versus partes satis impares reddit, tacita ex elegantiae lege evenit, ut trithemimeris ad eam fulciendam addatur tresque partes haud ita dissimiles efficiantur[3]). Adsunt igitur et hephthemimeris et trithemimeris in 139 versibus. Huc enim pertinere etiam I 3, 11. 7, 49. 8, 75. II 5, 49. 105 cur censeam, postea declarabo. Deest autem trithemimeris in his: I 1, 35. 2, 27. 63. 3, 69. 8, 7. 10, 37. 51. II 1, 35. 71. 5, 11. 6, 29. IV 6, 13. Rarius quam hoc apud Tibullum est alterum semiseptenariae genus. Quod utrum adsit necne, nonnumquam primo adspectu parum liquet. In talibus quidem versibus, quales hi sunt:

I 2, 57 tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet.
II 1, 81 sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas.
I 8, 65 dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur.

quin semiseptenaria principalis distinctio putanda sit non dubitaverim. Rectissime enim Hermannus (elem. doctr. metr. p. 33) dicit, quum potior sit totius orationis quam unius alicujus vocabuli finis, iis in versibus, in quibus utrovis modo incidi possit, non ex vocabuli, sed ex orationis fine aestimari caesuram. Atque insuper in talibus hexametris hephthemimerim primariam caesuram habendam esse apertissime docet II 1, 81. Quoniam enim, ut in pentametro ita in hexametro incisione

---

[1]) Cf. L. Mueller, edit. Tib. praef. p. XXIV.
[2]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 183.
[3]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 188.

nomina sic dividi videbimus, ut adjectivum substantivo praeeat, certe Tibullus, si post tertiam arsin versum illum incidisset, non tam dapibus festis quam festis dapibus scripsisset. Aliter autem sese habet primum quidem I 6, 77

at quae fida fuit nulli, post victa senecta.

In quo cum quae subjecti vice fungitur sententia relativa sine vocis remissione ab iis, quae sequuntur, excipiatur, semiquinariam principalem caesuram duxerim. Neque dubito, quin Tibullus, si hephthemimerim in hexametro illo adhibere sibi proposuisset, quomodo nulla alia ratione aut metri aut sensus adductus I 6, 43

sic fieri jubet ipse deus, sic magna sacerdos.

85. 7, 9. 57. 8, 25. 10, 19. II 1, 71. 5, 91 celebrius semiseptenariae genus rariori praetulit, eodem hic scripturus fuisset

at nulli quae fida fuit, post victa senecta.

Deinde eadem caesura primaria est et I 7, 55

at tibi succrescat proles, quae facta parentis
augeat et circa stet venéranda senem,

ubi poëta Messallae non tam prolem optat quam prolem virtutis plenam, et IV 2, 15

sola puellarum dignast, cui mollia caris
vellera det sucis bis madefacta Tyros,

ubi sententia relativa cum adjectivo digna, quod per se nihil dicit, artissime cohaeret. Eodem pertinent I 2, 53 et 8, 31. Atque ut in illis ita in his versibus:

I 1, 19 vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri.
6, 11 fingere tum didicit causas, ut sola cubaret.
8, 1 non ego celari possum, quid nutus amantis

vox in quarta arsi, quamvis ibi ex nostra consuetudine interpungamus, non remittitur. Tum in eo quoque caveamus ne nostro sententias seu verba distinguendi mori nimis confidamus, quod vocativos interpungendo ab sensu, ad quem pertinent, sejungimus[1]). Quos ab eo non esse separandos docet hic versus Tibullianus:

ipse boves mea si tecum modo Delia possim.

Itaque semiquinaria, non semiseptenaria adest I 1, 33. 53. 57. 6, 55. 7, 7. IV 3, 11. Aliter autem res se habet, si quod in vocativo pronuntiatur nomen cum gravi pondere orationi praecedit. Post talem enim vocativum pausam esse et per se intellegitur et hoc versu probatur:

IV 6, 1 natalis Juno, sanctos cape turis acervos,

in quo nomina, quae vocative dicuntur, quamquam ex usitatissimo artificio alteri pari implicari potuerunt, tamen poëta ab eo abstinuit. Itaque I 2, 7

---

[1]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 289 init.

janua difficilis domini, te verberet imber

non post tertiam, sed post quartam arsin divisus esse putandus est. Denique I 3, 85

haec tibi fabellas referat positaque lucerna.

6, 59. 7, 73. II 4, 25. 6, 34. quo jure orationis membra alterum ab altero distinguendi nota non sejungimus, eodem semiseptenariae majorem quam semiquinariae vim inesse negabimus. Hoc vero tum potissimum valet, cum una pars orationis inter duas aut sententias aut ejusdem sensentiae partes posita ad utramque pariter pertinet,[1]) ut II 6, 45

lena necat miserum P h r y n e furtimque tabellas
occulto portans itque reditque sinu.

I 1, 41. 31, 51. 2, 93. II 4, 1. 29. 5, 53. Huic enim collocandi modo inest elegantia quaedam, quae a Tibullo in versus elegiaci potissimum initio appetita est. Ubi saepissime accidit, ut quod et ad hexametri et ad pentametri sive enuntiatum sive ejusdem enuntiati membrum refertur vocabulum primam ejus sedem obtineat. Ac verbum sic positum est I 1, 10

sed frugum semper acervos
p r a e b e a t et pleno pinguia musta lacu.

4, 26. 5, 44. 54. 7, 6. 10. 9, 14. 28. II 1, 30. 72. 86. 5, 20. 6, 18. 50. IV 6, 10., substantivum I 1, 38

nec vos e paupere mensa
d o n a nec e puris spernite fictilibus.

40. 4, 54. 5, 68. 10, 32. II 1, 54. 6, 20., pronomen I 3, 26

quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
t e (memini) et puro secubuisse toro?

adjectivum I 1, 8 et 7, 60

te canit agricola, e magna cum venerit urbe
s e r u s inoffensum rettuleritque pedem,

ubi adjectivum ad posteriorem quoque sententiam ita pertinet, ut agricola, quamvis sero tenebris jam obortis in via sit, tamen pedem non offendere dicatur, adverbium I 5, 52

hanc volitent animae circum sua fata querentes
s e m p e r et e tectis strix violenta canat.

6, 72., brevis sententia I 1, 44

satis est, requiescere lecto
s i l i c e t et solito membra levare toro.

Huc pertinent quodammodo etiam I 5, 14. 7, 2. II 5, 24., de quorum participiis postpositis supra diximus. Nec difficilis est ad intellegendum talis collocationis ars. Quae enim sic ponitur orationis pars quoniam grammatica constructione cum priore, rythmico ordine cum posteriore senten-

[1]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 289 init.

tia cohaeret, et ipsa facillime ad utramque refertur et versus artissime conectuntur[1]). Et ad id ipsum Tibullum tetendisse inde apparet, quod bis, I 2, 93 et 6, 81

stare nec ante fores puduit caraeve puellae
ancillam medio detinuisse foro.
hanc animo gaudente vident juvenumque catervae
commemorant merito tot mala ferre senem,

idem effecit ex contrario verba ad utramque sententiam pertinentia in hexametri fine ita ponendo, ut grammatica constructione cum iis conexa sint, quae in pentametro sequuntur. Eandem igitur artem cur Tibullum in hexametri caesura adhibuisse negemus non esse liquet.

Restant quorum caesura ubi sit non satis constet versus II 3, 53. 55. In quibus semiquinariam praeferendam esse postea demonstrabo.

Jam vero, ubi omnes qui hephthemimeri praediti sunt versus heroicos repperimus, juvabit examinare, num in omnia carmina pariter distributi sint. Apponam igitur primum quidem, quot carmen quodque hexametros habeat in quarta arsi incisos, ita, ut priore numero comprehendam eos, in quibus hephthemimeris sine penthemimeri adest; altero eos, in quibus haec ad illam accedit. Quo in conspectu ordine elegiarum utemur a Teuffelio prolato.

I	7 = 32 h.	6	—	IV	4 = 13 h.	5	—
	4 = 42 „	3	2		5 = 10 „	3	1
	9 = 42 „	3	2		6 = 10 „	1	—
	8 = 39 „	8	1		7 = 5 „	1	—
	10 = 34 „	18	3	II	2 = 11 „	4	1
	1 = 39 „	9	1	IV	13 = 12 „	1	1
	3 = 47 „	13	3		14 = 4 „	—	—
	5 = 38 „	12	2	II	1 = 45 „	14	3
	2 = 50 „	7	3		3 = 41 „	4	2
	6 = 42 „	15	6		4 = 30 „	7	—
IV	2 = 12 „	1	—		5 = 61 „	10	3
	3 = 12 „	2	1		6 = 27 „	4	3
						151	37

Jam si ea quaeque carmina, quae separari non posse Gruppius et Teuffelius docuerunt, in unum complexi invenerimus, quam saepe conjungenda quaeque hephthemimerim habeant, alia ab aliis differre cognoscemus.

[1]) Errat igitur Hertzbergius, ed. Prop. tom. I. p. 173.

		inter cent.	
I 7	= 32 h.	6	18,8
I 4. 9. 8	= 123 „	19	15,4
I 10	= 34 „	21	61,8
I 1. 3. 5. 2. 6	= 216 „	71	32,9
IV 2—7. II 2[1])	= 73 „	20	27,4

Et secundi libri si perfectiora carmina ab iis segregaverimus, quae parum perpolita sunt[2]), eorum quoque dissimilem rationem intellegemus.

		inter cent.	
II 1. 4. 6	= 102 h.	31	30,4
II 3. 5	= 102 „	19	18,6

Apparet igitur Tibullum in iis elegiis, quas adolescens priores composuerit, rarissime semiseptenaria usum esse, quam posteriorem, ejus hexametros in contrarium versum saepius in quarta quam in tertia arsi incidisse; deinde in iis, quas in ipso et aetatis et poësis flore scripserit, tertiae fere omnium versuum heroicorum parti hephthemimerim tribuisse, quo ab numero non nisi in iis declinaverit, quas imperfectas esse certissimis indiciis docetur.

Sed de Tibullo hactenus. Lygdamus prius quidem semiseptenariae genus quater adhibuit atque ter ita, ut trithemimeris addita sit, 1, 9. 17. 4, 57., semel ita, ut post secundam arsin non sit incisum. Nam 2, 1 et 3, 37 utrum huc referendi sint necne, ut mox videbimus, non satis constat. Alterius autem generis exempla certa apud eum prorsus non inveniuntur. Atque ne 2,15

praefatae ante meos manes animamque precatae.

4, 45. 47. 91 hephthemimerim adesse putemus eadem causa impedit, quam supra de hoc versuum genere attulimus. Itemque in hos Lygdami hexametros:

2, 7 nec mihi vera loqui pudor est vitaque fateri.

3, 21. 35 id quadrat, quod de ejusdem generis versibus Tibullianis diximus. Eadem enim quae in his hexametris apparet ars vocem ad duas sententias pertinentem ita ponendi, ut grammatica ratione ad priorem, metrico ordine ad posteriorem trahatur, ut a Tibullo ita a Lygdamo etiam in pentametri initio adhibita est. Quod a nullo non agnoscitur 5, 10 et 6, 50. Idem autem agnoscendum esse 4, 20 et 6, 2 jam supra vidimus. Hic vero restat, ut ad scrupulum tollendum Heinsii[3]) et Dissenii[4]), qui 4, 20., post somnus si interpungatur, pronomen demonstrativum in sequente sententia desiderant, his exemplis:

---

[1]) Omisi l. IV c. 13. 14 utpote nimis brevia.
[2]) Cf. Gruppe p. 76—95. — Teuffel p. 370sq.
[3]) ad. Ovid. Metam. II 382.
[4]) ad III 4, 20 et I 2,60.

II 1, 54 et satur arenti primum est modulatus avena
carmen, ut ornatos diceret ante deos.

I, 4, 54. 5, 68 doceamus, illa collocatione id ipsum effici, ut ne in tali quidem sententia, quae aliter ac conjunctione copulativa praecedenti adjecta sit, absente substantivo pronomen demonstrativum requiratur. Nec minus 3, 33

adsis et timidis faveas, Saturnia, votis

et 6, 41 ob causam supra allatam semiquinaria praediti putandi sunt.

Vides igitur, quantopere Lygdamus, qui altero semiseptenariae genere quater, altero prorsus non usus sit, differat a Tibullo alterius 151 alterius 38 exempla habente.

Jam vero ut ad propositum revertamur, neutra caesurarum, quae apud nostros poëtas inveniuntur, versum heroicum ita dividit, ut partes plane pares nascantur. Itaque, ut ab eodem collocationis genere, a quo supra exorsi sumus, hic quoque incipiamus, tanta aequabilitas simul et ordinis et ictus eorum verborum, quae sibi inter se respondent, quanta est in his quos elegimus pentametris:

déspiciám dites dépiciámque famem.
dum caelum stellás, dum vehet amnis aquás,

in hexametro oriri nequit. Et summum quidem discrimen partium est earum, quae semiquinaria efficiuntur. Quamobrem talia habes exempla aequabilitatis:

I 9, 29 úretúr facies, uréntur sole capilli.
II 6, 23 haec laqueo volucrés, haec captat arundine písces.

I 5, 9. 8, 17. IV 4, 7. 13, 19. Accedit I 8, 23

frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,

in quo eadem quam supra cognovimus consuetudo apparet verba ad duas sententias pertinentia ita disponendi, ut alteri hoc alteri illud assignetur. Hi igitur versus propter ipsam hemistichiorum naturam a pentametris illis cum diverso sententiarum ambitu, tum vero et eo differunt, quod, sicubi similia verba in utraque adsunt, ea similem collocationem, dissimilem ictum habent, et eo, quod extrema utriusque partis syllaba cum vario sono pronuntiatur, ita ut, sicubi altera cum altera consonet, id minus audiatur quam in pentametro.

Major est similitudo earum partium, quae hephthemimeri et trithemimeri una factis oriuntur. Quarum aut duo priores aut duo posteriores aut prima et tertia similia sive enuntiata sive ejusdem enuntiati membra ut contineant apud Tibullum nonnumquam accidit. Atque priores quidem cum id habeant par, quod in arsin utraque desinit, finium consonantia, sicubi adest, eadem est quae in pentametro[1]), velut

[1]) Quamobrem II 1, 85
aut etiám sibi quisque palám

et tantúm venerata virúm[1]);

posteriores vero cum eo inter se congruant, quod ab eodem sono incipiunt, verba similia similiter et ordinari et acui possunt[2]), ut

requiéscat humus, requiéscat arator.

Neutra autem harum rerum consentit prima pars cum tertia. Jam ut cujusque generis exempla enumeremus, primi quidem haec sunt:

I 3, 47 non acies, non ira fuit.

10, 9. II 1, 37. 5, 73. IV 4, 23. Alterius autem certa exempla inveniuntur haec:

II 1, 5 luce sacra requiescat humus, requiescat arator.

17. 6, 9. I 7, 11. Quorum ad similitudinem in his quoque:

I 7, 49 huc ades et genium ludo geniumque choreis.
II 5, 49 ante oculos Laurens castrum murusque Lavinist
105 pace tua pereant arcus pereantque sagittae

et semiseptenariam principalem caesuram putabimus et non eam distinctionem, quae post tertiam arsin facta est, velut in hoc versu:

non ego te laesi | prudens: | | ignosce fatenti,

sed trithemimerim illius adminiculum habebimus. Ad tertium denique genus hic unus pertinet:

II 3, 1 rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam.

Hi igitur hexametri Tibulli sunt. Lygdamus nullius generis exempla habet certa. Itaque ne in his quidem:

2, 1 qui primus caram juveni carumque puellae.
3, 37 me vocet in vastos amnes nigramque paludem

satis constat, utrum semiseptenaria an semiquinaria primaria caesura existimanda sit.

Ac jam de altero concinnitatis genere ita videamus, ut quemadmodum supra sic hic illud artificium adsciscamus partes versus eo conjungendi, quod omnino nominum cohaerentium alterum in hanc alterum in illam distribuitur atque ita quidem, ut adjectivum sive participium substantivo, ad quod pertinet, aut genetivus substantivo, unde pendet, praecedat. Nam quae conjungenda sunt nomina si eidem versus parti insunt, utrum eorum

---

secundum ea, quae Lachmannus ad Prop. I 5, 20 de hoc genere consonantiae dicit, siquidem in pentametro eveniat, minus placet neque ullum aliud ejus modi exemplum apud nostros poëtas invenitur.

[1]) Elegi hoc exemplum ex altero genere versuum, de quibus mox disseremus, quoniam inter eos, qui huc pertinent, nullum reperitur. Nam quod hic de finium consonantia diximus et dicturi sumus, idem quadrat in illos.

[2]) Extremam nimirum syllabam cum altera pars habeat ictam, altera depressam, non offendimus in hoc versu:

II 1, 53 tum tibi, lena, precor dirás: satis anxia vívas.

Cf. Lachmannum ad Prop. I 18, 15.

praeeat, non curatur. Pro metri igitur necessitate modo hanc modo illam collocationem invenies. Itaque nominum illorum ordo apud Tibullum aptus est etiam ex subtilioribus metri rationibus. Atque primum ut in initio hexametri dactylus spondeo praeiret, I 2, 79 num Veneris magnae et IV 13, 23 sed Veneris sanctae ille quidem scripsit. Neglegentius Lygdamus, quamvis hanc elegantiam, ut postea videbimus, in heroico quoque versu curaret et 6, 15 collocaret Armenias tigres, tamen bis, 4, 45 sed proles Semeles et 2, 25 et nostri memores, facultatem verba transmutandi ita praetermisit, ut manifesta causa non adsit. Deinde Tibullus spondiacam vocem in versus principio evitavit I 4, 35 crudeles divi et IV 6, 1 natalis Juno. Hoc enim vitium non nisi gravis vocis admisit et tum quidem non modo non effugit, sed etiam quaesivit. Quod ut cognoscas, apponam exempla ita, ut, sicubi verba inverti potuerunt, ea adcribam: I 1, 63. 65. 3, 37 nondum caeruleas p. 41 illo non validus 45 ipsae mella dabant q. 65. 73. 4, 33 vidi jam juvenem 27 solis aeterna est 7, 35 illi jucundos 8, 13 frustra jam vestes 19 cantus vicinis f. 9, 35 illis eriperes 57 semper sint externa tuo 61 illam saepe ferunt c. 63 illa nulla queat 69 istaec persuadet facies 10, 37. II 1, 39 illi conpositis p. 69. 3, 55 illi sint comites 57 illi selectos v. 5, 9 qualem te memorant S. 35. 43. IV 2, 7. 11. 7, 1 tandem venit amor. In uno qui restat versu I 4, 43 quamvis praetexens verborum ordinem eam ob causam non commutavit, ne, quae vox graviorem vim non habet, ea eodem accentu recurreret[1]). Lygdamus de hac re neglegentior est. Nam praeter hos versus: 1, 1 Martis Romani 2, 23. 4, 5 divi vera monent, v. 21. 43. 51 tantum cara tibi 73 nescis quid sit amor 6, 23 quales his poenas, in quos idem cadit quod in Tibullianos illos, habet hos: 2, 9. 3, 33. 4, 73. 6, 29 quamvis nulla mei 47. 51 ergo quid totiens f. Porro Tibullus quod II 1, 81

sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas

ante eam hephthemimerim, cui penthemimeris addita est, adjectivum post substantivum ita posuit, ut dactylo spondeus subjectus sit, inde colligere licet, eum omnino illam normam non sequi, ex qua ea, quae locata sint ante caesuram, debere potius anapaesticum quam spondiacum numerum referre L. Muellerus (de re metr. p. 142) dicit. Et confirmatur illud ceteris exemplis omnibus, in quibus utrum hic an ille pedum ordo adhiberetur, optio data fuit:

I 5, 69 at tu, qui potior nunc es, mea fata timeto.
II 2, 19 vincula quae maneant semper, dum tarda senectus.

---

[1]) Cf. Lachmannum ad Prop. II 3, 43.

IV 3, 15 tum mihi, tum placeant silvae, si, lux mea, tecum.
5, 17 optat idem juvenis quod nos, sed tectius optat.

In his igitur versibus non curatur, utrum nominum praecedat. Tum vero, cum nomina in diversis partibus posita sunt, prospicitur ut adjectivum aut genetivus praeeat. Atque firmitas accedit ad aequabilitatem, si adjectivum priorem, substantivum posteriorem partem claudit. Et haec ipsa collocatio et apud Tibullum et apud Lygdamum satis crebra est. De qua ita quaeramus, ut aequabilitatem sejungamus a firmitate et primum de illa, deinde de hac accuratius videamus.

Hujus igitur aequabilitatis in Tibulli hexametris quattuor genera reperiuntur. Nomina enim, quae cohaerent, terminant aut eas partes, quae semiquinaria efficiuntur, aut earum, quae trithemimeri et hepthemimeri una factis oriuntur, primam et alteram aut alteram et tertiam aut primam et tertiam. Et primi quidem generis sunt 79 exempla, velut I 2, 3

neu quisquam multo perfusum tempora Baccho.

Accedunt 16 hexametri, in quibus alterum nominum par alterum circumcludit, ut I 1, 7

ipse seram teneras maturo tempore vites.

Qua ab collocatione Tibullus in hoc versu:

II 5, 87 at madidus Baccho sua festa Palilia pastor

discessit elegantiae paullo ante memoratae obsecutus. Ei enim ut in pentametris ita in hexametris religiosissime indulsit. Plerumque igitur facultatem legitimum pedum ordinem adhibendi per metrum aut verborum rationem datam non praetermisit nisi ob certam quae facile cognoscatur causam. Et primum quidem ut spondiacam vocem gravi vi praeditam in versus principio collocaret, 3, 37. 45. 4, 33. 9, 61. II 1, 39. IV 7, 1., quos jam supra attulimus, ab usitatiore pedum ordine discessit. Neque vero tum, cum aliud quod vocabulum primam versus sedem tenet, verbum majore pondere instructum leviori anteponere maluit quam metri elegantiae servire, id quod hic docet versus:

I 5, 67 heu canimus frustra: nec verbis victa patescit.

Porro ei semiseptenariae, quae semiquinaria fulcitur, tantum non favit, ut potius elegantiam metri laederet quam hanc caesuram adhiberet, velut in his:

I 5, 33 et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
8, 25 sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse.

Denique, quod II 5, 115 non scripsit ut celebrem Messalinum, id propterea factum est, quod proxime ante eam hephthemimerim, quae trithemimeri adjuvatur, rarissime (II 5, 17 Phoebe, sacras Messalinum) dispondiacam vocem admisit.

Alterum genus discedendi ab illa concinnitate, de quo nobis accuratius quaerendum est, in iis hexametris reperitur, in quibus prius nomen

post caesuram ita positum est, ut in quarta arsi claudatur. Quae collocatio cum satis saepe usurpata sit, recte Wackernagelius[1]) in talibus versibus post quartam arsin non quidem principalem, at certe quae gravior quam ceterae sit distinctionem adesse colligit. Et Tibullus eam in 52 hexametris adhibuit. Attamen cum hac ratione partium aequabilitatis deleatur, poëtam nostrum non sine causa eam alteri praetulisse jure suspicabimur. Et coëgit aut metrum ipsum aut ipsa sive sententiarum sive verborum ratio in versibus, quales sunt hi:

I 1, 1 divitias alius fulvo sibi congerat auro.
3, 91 tum mihi, qualis eris, longos turbata capillos.
2, 21 illa viro coram nutus conferre loquaces.

Porro I 4, 81

heu heu quam Marathus lento me torquet amore

causam, propter quam adjectivum post caesuram collocatum sit, recte Dissenius e sententiarum ratione repetit. Cave enim, ne numero verborum, quae inverti possunt, quidquam tribuas. Nam Tibullus cum omnino non curavit de anapaestico eorum, quae ante semiquinariam locata sunt, numero[2]) — hujus enim generis habet 244 alterius 264 versus — tum vero ejus causa non discessit a concinnitate collocationis, id quod haec docent exempla:

II 1, 45 aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores.
4, 53 quin etiam sedes jubeat si vendere avitas.

Deinde II 5, 47

ecce mihi lucent Rutulis incendia castris

manifestum est lucent ab incendia poëtam sejunxisse, ne consonantia secundae utriusque vocabuli syllabae nimis audiatur. Tum I 2, 95

hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arta

ea concinnitas, quae est in verbis hunc puer, hunc juvenis major fuit quam altera.

Denique in his:

I 2, 19 illa docet furtim molli decedere lecto.
73 et te dum liceat teneris retinere lacertis[3]).
3, 57 sed me, quod facilis tenero sum semper Amori.
8, 71 hic Marathus quondam miseros ludebat amantes[4]).
9, 1 quid mihi, si fueras miseros laesurus amores[5]).
II 4, 7 o ego ne possim tales sentire dolores[6]).

---

[1]) Geschichte des deutsch. Hex. u. Pent. bis auf Klopstock. Vorrede p. XXII.
[2]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 144.
[3]) Cf. Dissenium ad h. l.
[4]) Opponitur versui 75: nunc omnis odit faslus.
[5]) Cf. Vossium (Kritische Beiträge zum Tibullus) ad h. l.
[6]) Cf. Dissenium ad h. l.

IV 6, 11 nec possit cupidos vigilans deprendere custos.
14, 1 rumor ait crebro nostram peccare puellam.

gravior vis inest iis verbis, quae proxime ante caesuram collocata sunt. Restant igitur II 3, 9

nec quererer, quod sol graciles exureret artus,

qui unus nullam habet excusationem, et II 6, 41., de quo alio loco erit quod disseramus. Hic vero superest, ut de iis hexametris videamus, in quibus genetivus, qui ex substantivo versum claudente pendet, proxime ante semiquinariam positus est et quod eodem pertinet adjectivum ita sequitur, ut in quarta arsi terminetur. Et I 2, 67. II 2, 11. 5, 35 quidem metrum ipsum eam quae adhibita est collocationem efflagitavit. Hic autem:

I 2, 89 vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,

in quo juvenes opponuntur seni proximi versus, idem demonstrat quod ea, quae supra attulimus, Tibullum majori gravitati verbi alicujus ita cessisse, ut ab usitatissima illa collocatione discederet. Apparet igitur poëtam nostrum in his quidem exemplis sedi, quae est ante semiquinariam, plus auctoritatis inesse censuisse quam ei, quae est post illam[1].

Similiter de hac re sensit Lygdamus. Quem et ipsum aequabilitati illi favisse e 29 elucet versibus ea exornatis. Itaque ne eum quidem sine certa causa ab ea discessisse jure suspicabimur. Et 4,31 quidem

ut juveni primum virgo deducta marito

Lygdamum elegantiae, quae est spondei dactylo subjecti, ut in pentametri ita in hexametri initio haud ignarum fuisse docet. Quamquam Lygdamum in versibus heroicis minorem diligentiam ad eam adhibuisse elucebit, si hexametros ejus cum ipsius pentametris et cum Tibulli versibus comparaverimus.

		ds		sd	
Tib.	697 p.	421	60,4	58	8,3
	696 h.	321	46,1	99	14,2
Lygd.	145 p.	63	43,4	22	15,1
	145 h.	48	33,1	36	24,8

Neque tamen exceptis duobus illis exemplis, quae supra jam commemoravimus, ubicumque metro non cogente ab hoc pedum ordine discessit, causa deest. Nam in 4,5

divi vera monent, venturae nuntia sortis.

43, 51. 73 idem cadit, quod de ejusdem generis versibus Tibullianis diximus. Deinde 1,21 et 4,63

sed primum meritam longa donate salute.
sed flecti poterit: mens est mutabillis illis

Lygdamus eo a Tibullo differt, quod graviorem vocem anteponendi causa subtiliorem illam metri legem laesit. Denique in iis qui restant omnibus,

2, 21 post haec carbaseis umorem tollere velis.

---

[1]) Cf. Hertzbergium ad Prop. I 6, 25 et Lachmannum ad. e. l.

4, 17 jam Nox aetherium nigris emensa quadrigis.
39 hanc primum veniens plectro modulatus eburno.
41 sed postquam fuerant digiti cum voce locuti.
53 pro qua sollicitas caelestia numina votis.
6, 29 quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaira

a simpliciore verborum ordine deflectere noluit.

Ad alterum a concinnitate illa discedendi genus ut transeamus, etiam Lygdamus satis saepe, vicies quater, eo usus est. Quam collocationem cur et in talibus versibus, qualis est 2, 11

ante meum veniat longos incompta capillos,

et in his:

4,65 saevus Amor docuit validos temptare labores,
saevus Amor docuit verbera posse pati.
6,53 quam vellem tecum longas requiescere noctes
et tecum longas pervigilare dies

adhibuerit, per se liquet. Tum in horum versuum unoquoque:

1,21 sed primum meritam longa donate salute.
5,15 et nondum cani nigros laesere capillos.
6,41 sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus[1]).
61 sollicitus repetam tota suspiria nocte[2])

quae vox adjectivum a sede tamquam ejus propria dejecit, ea graviorem habet auctoritatem. Atque idem cadit in hunc versum:

6,59 non ego si fugiat nostrae convivia mensae.

Ubi cum Broukhusio aliisque aliquam libertinam ut intellegamus fieri prorsus non potest, cum in antecedentibus semper de Neaera dictum sit. Neque magis Dissenio credemus Neaeram ita significari judicanti, ut, ne praesens quidem si adsit ea convivio, de quo agitur, et repente aufugiat, Lygdamus se magnum dolorem inde accepturum esse dicat. Sed verba illa cum Heynio sic interpretabimur, ut poëta, si Neaera re vera ipsum fugiat et cum alio vivere malit, se non tota nocte suspiria repetiturum dicere putetur. Et huic sensui convenit verborum collocatio. Nam quamvis poëtae ipsius mensa opponatur ignoti cujusdam toro, tamen fugiat majorem vim habet quam nostrae, quoniam Neaera re vera fugiens contraria est Neaerae, quam Lygdamus ad se redituram sperat. Errat igitur Vossius, quod ordinem verborum immutavit. Neque minus idem fallitur, cum 4, 41 contra optimorum librorum auctoritatem scripsit

sed postquam digiti fuerant cum voce locuti.

Ubi cum sententia ejus distichi, quod proxime antecedit, ita repetatur,

---

1) Cf. Dissenium ad h. l.

2) In hoc enim versu repetam pars est ejus notionis, quae summo pondere praedita est.

ut novi nihil nisi id accedat, quod jam prior actio praeterisse dicitur, ea vox ut sono ita collocatione distinguenda erat, quae id ipsum exprimit, et secundum optimos codices legendum est

sed postquam fuerant digiti cum voce locuti.

Restat 2, 13., de quo paullo post videbimus.

Superest, ut hos versus:

4, 67 me quondam Admeti niveas pavisse juvencas.

2, 27 sed tristem mortis demonstret littera causam.

4, 13 efficiat vanos noctis Lucina timores

accuratius examinemus. Et in primo quidem vocabulorum Admeti niveas collocatio inverti non potuit. In alterum deinde idem quadrat, quod supra de hoc Tibulliano diximus:

et durum terrae rusticus urget opus.

Denique in tertio quamvis genetivus cum substantivo, unde pendet, artius cohaereat quam quod eodem pertinet adjectivum, tamen hoc potius propter majorem vim, quam habet, proxime ante caesuram principalem collocatum est.

Atque de eo quidem concinnitatis genere, quod est in partibus semiquinaria effectis, hactenus. Alterum autem, ex quo tripartitorum hexametrorum et prima et secunda pars nominum, quae conjungenda sunt, altero utro clauditur, in his versibus Tibullianis apparet:

I 1, 47 aut, gelidas hibernus aquas.

67. 2,35. 75. 4, 39. 5, 27. 33. 49. 6, 75. 7, 59. 10, 15. 41. 55. II 1, 43. 83. Quorum ad similitudinem et I 8, 75

nunc omnis odit fastus, nunc displicet illi

trithemimeris gravior putanda erit quam quae post tertiam arsin facta est distinctio et hunc versum:

I 3, 11 illa sacras pueri sortes ter sustulit

hephthemimeri et trithemimeri praeditum jure habebimus. Hoc enim artificium, ubicumque per metri et verborum naturam liceret, a Tibulli quaesitum esse et iis illorum versuum probatur, in quibus alteram collocationem levissima verborum transmutatione assecutus esset, velut I 4, 39

tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,

et eo, quod qui versus unus cum hac norma pugnare videtur, I 6, 69

et mihi sint durae leges, laudare nec ullam,

is certe hunc vocabulorum ordinem

et durae mihi sint leges

haberet, nisi mihi oppositionis causa anteponendum fuisset.

Tertium deinde genus cernitur in his:

I 2, 1 adde merum vinoque novos conpesce dolores.

3, 69. 81. 10, 59. II 3, 41. 5, 63. IV 2, 1.

Quartum denique bis reperitur, I 4, 25

perque s u a s inpune sinit Dictynna s a g i t t a s

et II 5, 17.

Vides igitur, satis saepe haec quoque concinnitatis genera tria a Tibullo adhibita esse neque parum ab eo differe Lygdamum, apud quem hoc unum inveniatur exemplum:

4, 57 c a r m i n i b u s celebrata t u i s.

Jam vero de firmitate ut quaeramus, primum quos adhuc perlustravimus hexametros concinne fictos, eorum longe major pars eandem quam pentametri sequitur normam adjectivi vel genetivi praecedentis. Et ante semiquinariam quidem substantivum sive quod ejus vice fungitur pronomen apud Tibullum inter 95 exempla quinquies, apud Lygdamum inter 29 semel ita collocatum est, ut sententiae excusatio desit. Atque eadem lex valet, cum alterum nomen proxime post semiquinariam positum est et in quarta arsi finitur. Sunt enim inter 52 versus Tibullianos novem, inter 24 Lygdami quattuor exempla adjectivi postpositi. Hac vero ratione id confirmatur, quod Wackernagelium de talibus hexametris statuisse supra diximus. Minus religiose illud curatum est in iis partibus, quae trithemimeri efficiuntur. Inveniuntur enim inter 17 exempla Tibulli et unum Lygdami sex, quae ab illa norma abhorreant. Nusquam autem a legitima adjectivi collocatione in tripartitorum hexametrorum altera et tertia aut prima et tertia parte discessum est.

Deinde vero etiam in iis versibus, in quibus sine illa concinnitate quae cohaerent nomina in diversa hemistichia distributa sunt, rarissime substantivum praeit. Nam Tibullus inter 60 ejusmodi versus tres, Lygdamus inter 28 unum habet, in quo adjectivum postpositum est sine sensus excusatione. Quorum ceteros omittamus, de iis autem, in quibus inter nomina, quae cohaerent, nihil nisi semiquinaria caesura intercedit, accuratius videamus, quoniam iis potissimum id probatur, quod adhuc usque de graviore vi et substantivi praeeuntis et adjectivi postpositi diximus. Nam in his quidem: I 1, 27. 33. 45. 2, 17. 3, 87. 9, 79. II 2, 15. 3, 11. 4, 19. 57. 5, 29. 33. IV 6, 5. III 2, 15. 4, 47. 91. 5, 21. 6, 11 adjectivum, II 5, 75 substantivum praecedit, sed ita, ut metrum transmutationem nominum non permittat. Eorum vero, in quibus per metrum optio data erat, in his: I 5, 9. 9, 19. II 5, 101. III 2, 25. 3, 27. 5, 33 adjectivum neque majore neque minore pondere praeditum est quam substantivum sive pronomen. Huc pertinent etiam II 6, 41 et III 2, 13

desino, ne d o m i n a e l u c t u s renoventur acerbi.

sed veniat c a r a e m a t r i s comitata dolore,

in quibus ob eam ipsam causam, ne genetivus aut adjectivum substan-

tivum, ad quod pertinet, sequeretur, ab aequabilitate discessum est. I 9, 71 autem

non tibi, sed j u v e n i c u i d a m vult bella videri

substantivum, quod praeit, et I 4, 57

heu male nunc a r t e s m i s e r a s haec saecula tractant

adjectivum, quod sequitur, primarium accentum sibi expostulat. Apparet igitur Tibullum cetera quidem verba ad eminentiora reddenda sedem, quae est proxime ante caesuram semiquinariam, magis idoneam habuisse, adjectiva autem ad praedicanda eam collocationem, ex qua substantivum penthemimeri antecedat, adjectivum eam sequatur. Atque huc referendi sunt etiam II 3, 53 et 55

illa gerat v e s t e s t e n u e s, quas femina Coa.
illi sint c o m i t e s f u s c i, quos India torret.

In quibus Tibullus si hephthemimerim lectam voluisset, in priore versu secundum ea, quae supra de hoc genere semiseptenariae diximus, t e n u e s v e s t e s scripisset. Post tertiam autem arsin si inciditur, quae adhibita est collocatio optime convenit cum sensu. Quoniam enim poëta et vestium tenuitate et comitum fusco dolore magnum praedicat donorum suorum pretium, quibus conspicienda Nemesis ut per urbem incedat pro praesenti animi motu optat, summa vis et gravitas epithetis inest. Quae ea potissimum collocatione iis affertur, quod, cum illa, quae in priore hemistichio antecedunt, integram cogitationem jam efficiant, sensus cum voce post semiquinariam denuo ascendit novoque quasi accentu adjectiva feriuntur et deinde levi sententiae mora ab iis, quae sequuntur, separantur.

Quod simili collocandi ratione in pentametri initio confirmatur. Haud raro enim apud Tibullum accidit, ut una pars orationis, quae ad hexametri solius enuntiatum pertineat, in pentametrum redundet. Sed in tali collocatione alia est condicio substantivorum et verborum, alia adjectivorum sive participiorum et adverbiorum. Illa enim saepissime a Tibullo sola ex hexametri sententia in versum elegiacum tracta sunt neque raro ita, ut graviore pondere non distinguantur, velut I 6, 10 et II 1, 66., haec autem raro illo modo posita sunt et semper ita, ut magnam vim habeant. Quae facile cognoscitur I 2, 28. 58. 5, 62. 72. II 5, 8. Deinde I 1, 15

flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
s p i c e a, quae templi pendeat ante fores

opponitur ut Ceres, quae segetes curat, Silvano, qui arbores agri tuetur, ita corona spicea primitiis pomorum. [1]) Tum I 2, 14

te meminisse decet, quae plurima voce peregi
s u p p l i c e, cum posti florida serta darem

---

[1]) Cf. Dissenium ad h l.

vox supplex opponitur malis verbis januae modo dictis. Porro I 3, 67

at scelerata jacet sedes in nocte profunda
abdita, quam circum flumina nigra sonant

participio postposito ea inest vis, quod profunditatis et caliginis, quae praedicantur, notio augetur et acuitur. Denique I 7, 28

te canit atque suum pubes miratur Osirim
barbara, Memphiten plangere docta bovem

barbaram prolem, quae Osiridem luctu veneretur, poëta sibi suisque opponit, a quibus deum ipsum laetissimum laetitiaeque datorem hilaritate, qua deceat, coli vv. 42 sqq. dicit.[1] Neque vero I 5, 74 quidem

et simulat transire domum, mox deinde recurrit
solus et ante ipsas excreat usque fores

adjectivum in pentametri initio positum gravior vis deficit. Non enim id significatur, novum Deliae amatorem, postquam domum transierit, sine comitibus mox deinde recurrere, sed solus pro singulari illa sede, quam tenet, eam habet sententiam, quod ille reverti dicitur, cum se solum esse neque ab ullo homine observari viderit. Qui restant versus I 1, 64

non tua sunt duro praecordia ferro
vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.

2,34. II 5,73. 98., eorum unusquisque ita comparatus est, ut adjectivum, quod primam sedem tenet, ad sententiam, quae in hexametro incipit, plenam reddendam necessario requiratur ob eamque causam non sit cur majorem auctoritatem habeat. Nam in eo ipso posita est diversa condicio substantivorum verborumque et adjectivorum adverbiorumque, quod, illa quidem vocabula cum ex hexametri enuntiatione sola in pentametrum redundant, id efficitur, ut sententia e prioris versus finibus egrediatur animique legentium in exitu ejus nondum sedati id, quod sequitur, exspectent; haec autem, quoniam in hexametri fine cum numero sententia plena fit, faciunt ut animi jam relaxati denuo usque ad unius verbi clausulam intendantur et quod non exspectaverunt vocabulum cum priore sententia conjungere cogantur. Illa igitur si non numeri, at certe sententiae tenore non interrupto cum iis, quae antecedunt, continentur, haec vero et numero et sensu intercepto prorsus a versu, qui praeit, separantur.

Sed redeamus ad propositum. Restat enim ut ad eos hexametros progrediamur, in quibus bina ejusdem sententiae nomina adsunt. Quas rationes ea inter se implectendi in pentametris adhibitas esse vidimus, eaedem in heroicis versibus reperientur. Nam ut a partibus semiquinaria effectis incipiamus, primum harum figurarum $\genfrac{}{}{0pt}{}{(a)}{\alpha}\Big|\beta b\genfrac{}{}{0pt}{}{(\alpha)}{a}$ et $\genfrac{}{}{0pt}{}{(a)}{\alpha}\Big|b\beta\genfrac{}{}{0pt}{}{(\alpha)}{a}$ exem-

[1]) Cf. Vossium (erklärende Anmerkungen zur Uebersetzung) ad I 7 (ipius 8), 43—48.

pla jam supra attulimus. Atque illa quidem apud Tibullum tredecies, apud Lygdamum semel, haec autem apud Tibullum quinquies, apud Lygdamum ter invenitur. Deinde ea, quae hoc litterarum ordine α|βba describitur, Tibullus sexies, I 1,63. 2,29. 3,55. 71. 9,83. II 3, 47., Lygdamus ter usus est, 1,11. 3,17. 5,1. Semel (si Italos plurimosque recentiorum editorum sequimur) a Tibullo ex hac specie: αβα|ba collocatum est, II 5,69

quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes.

Ea autem forma, ex qua prius substantivum praecedit, a|βαb, apud Tibullum quater, I 3,63. 7,63. II 4,47. IV 14,3., apud Lygdamum ter invenitur, 3,13. 15. 4,17., quae exempla exceptis II 4, 47 et III 4,17 satis excusantur. Idem cadit in collocationem, quae in hoc versu uno:

I 10,17 neu pudeat prisco vos esse e stipite factos

adhibita est. Semel hac forma a|bαβ Tibullus usus est, II 5,57

Roma, tuum nomen terris fatale regendis.

Gratissima autem illa figura, quae hoc litterarum ordine αβ|ab denotatur, usurpata est in 16 versibus Tibulli et in 3 Lygdami. Ad aequabilitatem quidem quod attinet, huc referendi sunt I 1,21

tum vitula innumeros lustrabat caesa juvencos.

3,3. 5,41. 6,45. II 1,51. 55. 65. 3,15. III 1,25. 4,7. 23. 87. 89. 5,13. — I 1,65

illo non juvenis poterit de funere quisquam.

II 4,41. Ab hac igitur concinnitate ubicumque discessum erit metro non cogente, ibi alia qua causa aderit. Et I 2,25

en ego cum tenebris tota vagor anxius urbe

cur tenebris tota, non tota tenebris scriptum sit, eo declaratur, quod tenebrae opponuntur vacuitati periculorum, qua poëta Veneris ope noctu per urbis vias vagantem se uti gloriatur. Confirmatur ergo id, quod jam supra de majore vi verbi in ea sede positi diximus, quae est proxime ante semiquinariam. Unde profecti de hujus versus:

II 2,1 dicamus bono verba venit natalis ad aras

interpunctione certa ratione decernere poterimus. Nam v. 5 cum optimorum librorum auctoritate sic legendum esse constet:

ipse suos genius adsit visurus honores

neque dubitari possit, quin Tibullus non sine causa ab aequabilitate discesserit, quae adhibita est collocatio non purgatur nisi eo, quod genius voci principalem vim inesse demonstratur. Habet autem hoc vocabulum summum pondus, cum v. 1 hoc modo:

dicamus bona verba (venit natalis) ad aras:

interpungimus natalemque natalem diem, non deum eundem, qui genius est, intellegimus. Sic enim fit ut genius v. 5 gravi cum accentu primum commemoretur. Dissenius contra, qui cum aliis ita distinxit:

dicamus bona verba: venit natalis ad aras:

et natalem pro genio dictum putat, primum quidem non satis tollit repugnantiam, quae tali modo inter venit natalis ad aras et ipse adsit genius oritur, deinde vero ipse miratur, quod, si ratio sententiae vera sit ut explicuerit, nihilominus non scriptum sit adsit genius. Neque cur idem cum Huschkio solemnes has formulas: favere linguis, bona verba dicere cum tali additamento, quale est ad aras, usurpari prorsus non posse existimet, equidem video.

Deinde I 8,71

hic Marathus quondam miseros ludebat amantes

Marathus et miseros idcirco non sunt transmutata, quod Marathus opponitur puellae, quam eandem poenam, qua ille affectus sit, manere poëta v. 77 minatur, nisi superba esse desinat. Denique et III 1,1 et 4,27

Martis Romani festae venere Kalendae.

intonsi crines longa cervice fluebant

vocabulum illud, a quo uterque versus initium capit, maximi ponderis est. De I 9, 43., qui restat, mox disseremus.

Ita autem, ut alter sit nominum ordo in hac alter in illa parte, ab aequabilitate discessum est in his versibus perpaucis:

I 1, 17 pomosisque ruber custos ponatur in hortis.

IV 13, 15. III 6, 13. — I 7,7

at te victrices lauros, Messalla, gerentem.

9, 23. — I 7, 29

primus aratra manu sollerti fecit Osiris.

Jam ut eos versus accuratius examinemus, in quibus alterum substantivum in priore parte positum est — ambo enim numquam praeeunt —, in ceteris quidem quae in quoque adhibita est collocatio sensu purgatur; in his vero: II 1, 65. III 4, 23. — I 7, 29 nulla excusatio adest nisi metri cogentis.

Sed in iis quoque versibus, qui hephthemimeri et trithemimeri incisi sunt, Tibullus quidem nonnunquam iisdem bina nomina collocandi artibus, quas adhuc cognovimus, usus est. Atque in duobus prioribus partibus earum nulla usquam invenitur, in posterioribus autem hae:

IV 2 ,1 Sulpiciast tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis.

I 5, 21. II 5, 1. — I 5, 3

namque agor ut per plana citus sola verbere turben.

9, 57. II 4, 23. 6, 29. — I 1, 77

ferte et opes : ego conposito securus acervo.

II 1, 3 Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva.

I 3, 65 illic est, cuicumque rapax mors venit amanti.

Artificiosissime vero tres partes interdum his modis conjunguntur:

I 1, 47 aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster.

7, 59 namque opibus congesta tuis hic glarea dura. III 4, 57. — III 1,9

lutea sed niveum involvat membrana libellum.

Restant perlustrandi ii versus, in quibus nulla omnino est nominum, quae adsunt, implicatio. Ejus generis 28 inveniuntur Tibulli, 6 Lygdami. In quibus, sicubi alterum par ex alterius aut substantivo aut participio pendeat, illud praeit, ut I 3, 87. III 1, 1., aut ita postpositum est, ut gravem vim habeat, ut I 3, 69. III 3, 11. Atque eadem vis alteri nominum pari tum inest, cum in fine et sententiae et hexametri collocatum ad verbum ita pertinet, ut ad notionem ejus plenam reddendam non necessario requiratur, velut I 9, 43

saepe insperanti venit tibi munere nostro,

ubi ob eam ipsam causam ab aequabilitate discessum est.

ERRATA.

pag.	2^{31}	pr.	ryth-mico	l.	ry-thmico.
„	6^{12}	„	257	„	256
„	12_1	„	sentcntias	„	sententias.
„	15^9	„	quomodo	„	quo modo.
„	23^5	„	aequabilitatis	„	aequabilitas.
„	23^{16}	„	om-nino	„	o-mnino

Typis A. Rossteutscheri Coburgensis.

VITA.

Natus sum ego Georgius Maximilianus Krafft Coburgi die XV. mensis Februarii anni hujus saeculi LI. Parentes veneror superstites patrem Carolum, virum nunc quidem otiosum, postquam antea furnariam exercuit, et matrem Carolinam. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis litterarum in urbis patriae schola civica imbutus ubi per octo annos gymnasium Casimirianum ibidem situm frequentavi, testimonio maturitatis munitus ante hos quinque annos in universitate Lipsiensi studia academica aggressus et deinceps Heidelbergi, Berolini, Halis Saxonum persecutus sum excepto tempore belli recentissimi, per quod, maximam partem in ipsa Francogallia, stipendia merui. Interfui autem lectionibus inprimis vv. ill. Bernhardyi, G. Curtii, Hauptii, Keilii, Kirchhoffii, Koechlii, Ritschelii, Starkii, Steinthalii, Zarnckii philologicis; J. G. Droyseni, Wattenbachii historicis; Kiepertii geographicis; lectionibus et exercitationibus philologicis vv. ill. Huebneri, Muellenhoffii, Zacheri. Quibus viris quantum debeam pio et grato animo semper memorem me praestabo.

THESES.

I.

Thuc. III 64 init. non ἡμεῖς δέ, quod Stahlius novissimus restituit, sed ὑμεῖς δέ legendum est.

II.

Qui pugnae apud Arginusas factae interfuerunt et in civium numerum asciti sunt Atheniensium servi propterea Arist. nub. 694 Πλαταιεῖς appellantur, quod ut antea Plataeenses Scionam deducti sunt.

III.

Horat. sat. I 1, 108 qui nemo ut avarus scribendum esse puto.

IV.

Quae reduplicantia vocantur verba gothica temporis praeteriti primam syllabam non brevem habere, sed longam.



